

QK 24 15

I. N. F. C.

(X 1883937)

4

II n
2994

WITIKINDVS MAGNVS
SAXO,

Ex vetustis potissimum

Scriptoribus,

in Inclyta Argentoratensi

Academia

exhibitus

publico & Solenni examini,

MODERANTE

IOANNE HENRICO

BOECLERO,

HISTORIARVM PROFESSORE

ORDINARIO,

à

IOANNE SEBASTIANO MULLERO,

Lipfiense.

d. 27. July h. l. g. solitis.



ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDELII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

ANNO M DC LXXI.



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

JOHANNI GEORGIO III.
DVCI SAXONIAE, IVLIACI,
CLIVIAE, MONTIVM, ELECTORATVS
SAXONICI PRINCIPI HÆREDI, LAND-
GRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI
MISNIÆ, SVPERIORIS ET INFERIO-
RIS LVSATIÆ, COMITI MARCÆ ET
RAVENSPVRGI, DYNASTÆ
IN RAVENSTEIN.
&c.&c.&c.

*Principi & Domino meo Clemen-
tissimo.*

devotissima Obsequia,



Serenissime Princeps ac Domine,
Domine Clementissime,

Witikindi Magni, Heroum Sa-
xoniorum progenitoris nomen
mundo venerabile, non debuit nisi
Heroi Saxonico, è primis, inscribi.
A me sane nihil proficisci potest,
quod augustis Tuis oculis mereatur
offerri: ipse Witikindus irasci pos-
set impari laudatori, si prædican-
dum eum suscepissem; aut jeiuo
historico, si tempora eius dicenda
sumsissem. sed præclare nouit, alte-
rum me nec voluisse; alterum nec
me nec quenquam potuisse facere.

):(2

Non

Non immemor est temporum quibus vixit, ubi facere laudanda, quam scribere facilius fuit. Incideram nuper in Scriptores, in quibus rerum seculi à Christo nato octavi & ultra reliquiae supersunt: & non sine dolore animadverti, quanti viri, quanta opera, non nisi obiter indicarentur verius quam describerentur. In his Witikindi virtus longum iter tanquam stellis signavit è caligine lucentibus. At nostro & superiori saeculo uberius ista consignata dum intueor, cupido incessit, antiquis tradita seorsum colligere & in meos usus servare. cumq; domo
sub-

submissa, de Academica disputatio-
ne instituenda, mandata accepis-
sem, in chartam coniecta est ista re-
rum Witikindi Magni quarun-
dam velut ephemeris. Contingerat
eodem tempore mihi inspicere, de ju-
dicijs, quæ Westphalica vocant,
& in tempora Witikindea confe-
runt, uberem penum: unde excerpti
aliqua non valde obuia, rationis &
consilij videbatur. Quoniam autem
nullum tempus, nullus locus inter-
cedere potest illi demississimæ vene-
rationi, quæ Te, Serenissime Heros,
omnibus ciuibus Saxonis semper
præsentem præstat, in eam veni opi-
).: (3' opinio-

nionem atq; spem, Te, more maximis
quibusq; Principibus usitato, quam-
vis tenue ac exiguum, à pietate ta-
men deuotissimi Tibi animi profe-
ctum obsequij specimen non dedi-
gnaturum. Offerant alij Witikin-
dum, ita calamo & explicatione ad-
ornatum, sicut ex vetustissimo mo-
numento depictum conspiciendum
præbuerunt Reineccius & Albinus:
ubi regia omnia & illustria agnosce-
re licet illis, qui insigne capitis decus,
togam stellatam & gemmato limbo
fimbriatam, calceos itidem gemmis
obsitos, sceptrum lilio fastigiatum,
& induplici scuto, dimidiatam a-
quilam

quilam cum septem lilijs & Leonem
velut in certamen erectum, & præ-
dæ inbiantem contemplari & admi-
rari satis nequeunt. In cimeliarcho
nobili, non tantum imaginibus fa-
brefactis & ad viuum expressis, lo-
cus datur: sed admittuntur etiam
ichnographica & primoribus lineis
adumbrata excellentium hominum
figura. Deniq; agnosce, Serenissime
Domine, famulum, antiquissimo-
rum Saxoniae Heroum arma, tan-
quam in publico pompæ spectaculo,
ritu veteri gerentem: non sinit Te a-
nimus cognati decoris nobiliter stu-
diosus oculos auertere à nomine do-
mestica

mestica & gentilis gloria auspiciū
& omen & complementum certā re-
rum fide complexo. Faxit DEUS,
Inclytissima Domus Saxonica so-
spitator atq; conseruator, vt inter si-
dera Soli Principum sociata Tuum
nomen in Imperio luceat, donec in
cælo stellarum fulgor & pulcritudo
perennabit. *Vive, & propitius re-
spice*

Serenissima Celsitudini Tuæ

ex Acad. Argentoratensi
27. Jul. 1671.

deuotissimum seruum

Jo. Sebastianum Müllerum.

WITIKINDVS MAGNVS.



X hâc stirpe, nomine & meritis fulgentissimæ Principum Familiæ, in primis Marchionum Misniæ, Ducum & Electorum Saxonix, & Imperatorum Saxonico- rum, originem deducunt. Sicut, præter ceteros Genealogicos, diligenter ostendit *Elias Reusnerus*: cui addi debent *Chytræus*, *Cyriacus Spangenbergius*, *Albinus*, *Lazius*, *Blondellus*. Retro vero, ultra *Theodoricum Witikindi Magni* avum, certa series Saxonico- rum & Westphaliæ Principum, incorruptis testimoniorum monumentis tradita non est, notante *Chytræo* chronici sui libro tertio, post principium.

Merito autem *Witichindus* hic, *Primus* hoc nomine describi potest. nam quem *Hunibaldus* alium vetustiore *Witikindum* iactat, is tali auctore non agnoscitur. *Magnus* cur vulgo cognominetur, adhuc amplius constaret, nisi res ab eo gestæ, & ad eum pertinentes, summatim potius quàm enucleatè traderentur. Sic quoque dispersa variè, in vnum conduci, & quodam modo declarari, forte operæ pretium fuerit.

Nomen ipsum literis exprimunt non vno modo. In *Annalibus Eginhardi*, *Widikindus*, msc. *Vuinichindus*. In *Chronico vetere Moissiacensi*, *Guiduchint*. In fragmento vetere apud *Franciscum du Chesne*, *Widukindus*. In *Annal. Franc. Fuldensib.* *Witukind*. In *Chronico Breui* apud *du Chesne*, *Widichinus*. In *Chron. Hildesheim.*

Basilic. Stirpe Wittikindeâ p. 260. &c.
Chron. Sax. lib. 2. p. 48. &c.
Sächs. Chron. c. 79.
Meijn Chron. tit. 19. de migr. gent. lib. 9. p. 526.
Seren. Margareta Austr. stemmat. matern. 5.

Georg Fabr. orig. Sax. lib. 1. p. 1.

tom. 3. p. 381.

ann. 785.

heim. *Withuchingus*. in Annalibus Bertinianis, & Msc. Mon Sangall. *Widochindus*. Apud *Sigebertum Gemblac*. *Wintichindus*. Apud alios *Witekind*, *Wittikindus*. In Catalogo nominum priorum Monast. S. Gall. apud Goldastum, *Witichint*, *Vuiduchint*. Videatur omnino *Reineccius* in notis ad *Poëtam Anonymum de rebus Caroli M.*

Script. Alem. tom. 2.

ad lib. 1. p. 16.

Ultimus Rex, & *Primus Dux Saxonie*, à ple-
risque recentioribus appellatur. Et de re quidem
non dubitatur: sed de consuetudine appellandi,
haud æque constat. Verustissimus quisque, talis
appellationis nullam facit mentionem. *Annales*
Eginhardi, qui vulgo *Astronomo Ludouici Imp.*
tribuuntur, *Widikindum unum ex primoribus West-*
phalorum, vocant. quem locum explicat *Meibomius*
in Vindiciis Billinganis. Quare *Albertus Krantzius*
caute: *Wedekindus Saxonum primarius princeps*
(sive regem eum dicere collibeat) magno pralio vi-
ctus. Et alibi, *Wedekindum omnium primarium*
ducem nominat. Doctissimus *Fabricius* annotat:

ann. 777.

p. 313.

Metrop. lib. 1. c. 9.

Saxon. lib. 2. c. 2.

Orig. Sax. lib. 1. p. 61.

Krantz metrop. lib. 1. c. 1.

Lindenbrug. in Chron.

add. Krantz Saxon. lib.

2. c. 22.

ante annum 628. nullius neq. Regis neq. Ducis Saxo-
num, ab ullo scriptore, qui extant, nomen, citari,
cum sine rege aut ducibus esse non potuerint. Idem,
qui amplius obseruat: Saxones diuiso in toparchi-
as imperio, duodecim virorum Senatam consti-
tuisse, ex quibus is, qui re communiter delibera-
tâ decretaque bello præficiébatur, *Regis* nomen
susceperit, finito bello deponendum. Et in his
Witichindum Vuernechini filium, de quo nobis
sermo, numerat. *Witichindus Monachus* tamen tra-
dit: à tribus Principibus totius gentis *Ducatum admi-*
nistratum esse, certis terminis exercitus congregandi

lib. 1. p. 6.

potesta-

potestate contentis, quos suis locis atq; vocabulis signatos ait, in Orientales populos, Angarios & Westphalos. quem locum reconciliare aliis Scriptoribus conatur *Reineccius ad Poët. Anon. de rebus Car. M. p. 3. Alberto Stadenfi, Widikint, Dux Saxonum dicitur. ann. 785. Regem vocitari à Ditmaro lib. 1. Reineccius annotat, ad Poët. Anonym. Qui de Magno Duce sermocinantur, non meminerunt, se novissima vetustis confundere. Fucrit Witikindus, magnus Dux ob rerum gestarum magnitudinem, non appellatione curiali. Principem Angariorum Chytræus vocat. addunt alii Iburgum, quod nunc detorto paulum vocabulo Driborg vocant. Westphaliam deniq; ei ceu prouinciam tribuunt. Videndæ doctissimæ Note in Monumenta Paderbornensia p. 84. & 108. 109.*

Krantz. Saxon. lib. 2. c. 24. & 25.

Sicuti autem inelyta Saxonum gens, multos aliis gentibus reges dedit: ita quin animus verè regius in Witikindo agnosci debeat, nemo inficias iverit; qui magnitudinem consiliorum, celeritatem cogitationum, industriam in agendo, constantiam in perficiendo, fortitudinem, libertatis studium, perseuerantiam in laboribus, fiduciam in aduersis, & ceteras laudes, quæ summam fortunam vel mereri vel ornare possunt, ex vero aestimaverit. Quo in genere parca est admodum historia, neq; tam spectacula nobis magnorum operum ad intuendum, quam indicia ad coniectandum exhibet. Igitur nec de educatione Witikindi, & iuuenili ætate; nec de gradibus aut passibus, quibus ad tantum gloriæ fastigium conscendit, possumus afferre, quæ expectari in descriptione magnorum Principum, mos est. Augusto enim incedimus

A 2 trami-

tramite, qui tenui filo signatur, intra terminos belli Saxonici, eiurata ethnica superstitionis, & exitus militaris.

De bello Saxonico, quod Carolus M. post annos amplius triginta vix finire potuit, eiusque causis, & magnitudine, *Eginhardus in Vita Caroli* summam, verbis, quæ multi descripserunt, *Adamus Bremensis*, *Helmoldus in Slaucis*, *Albertus Stadenfis*, *Abbas Vrspurgensis*, & alii: singillatim autem & per annos, cum *Eginhardi Annalibus*, alii Chronicorum ante laudati scriptores. In bello hoc grauissimo & pæne anniuersario, quin prima fuerit apud Saxones persona Witikindus, non est dubitandum: licet Veteres ab initio belli non statim eius meminerint. Totum belli tempus ei tribuit *Fabricius* primum concitorem facit *Auentinus*. *Fabricius* rotundè non accuratè se locutum ipse ostendit, quando post 786. annum, qui ante tempus dimidium belli totius expletum ponendus est, impermixtum bello in fide mansisse Witikindum, refert, quod & *Erpoldus Lindenbrogius* affirmat.

Orig. Saxon. lib. 4. pag. 425.

lib. 4. pag. 239.

p. 438. & 439.

in Chron. Car. M.

Witichindum, vt populares suos, aduersus Francos incitaret, non leues causæ permouebant: primum, quod errore communi bellicosarum nationum, quiescere, partem ignaviæ, suas alienasq; fortunas spe metuque versare, virtutis opus existimabat; deinde quod libertatem Saxonum à Caroli Avo & Parente grauius, quàm vt obliuioni tradi deberet, attrectatam reputabat: virtute præterea gentis nondum infracta aut domita confusus; & præsertim occasione temporum imminens, quam aduersus distractum circa tot populos & imperia

peria

peria Carolum haud difficulter patefieri, non absurde credidit. Talis animi septimo ante Witichindum sæculo apud Cheruscos fuit Arminius, qui libertatis vindicandæ ius perpetuum esse, opinatus est, *liberator Germaniæ* propterea ab hoste dictus. & Segestes focer eius, moderatoris sapientiæ, quæ fidem pactionum interpositam obstare vindiciis libertatis autumabat, non aliud pretium, quàm popularium odium retulit. Accessit ad superiora irritamenta apud Witikindum, odium Christianæ religionis, superstitionibus paganis aduersæ: cuius acerrimum vindicem Carolum non ignorabat.

Tac. 2. A. 88.

Tac. 1. A. 58.

Et Carolum quidem Saxones infestatis limitibus Francicis, ad propulsandas armis iniurias excitauerant. Sed fuit Carolo, non minimus ad hoc bellum stimulus, Christianæ religionis, destructo paganismo, propagandæ perpetuum & acre studium, quod *Adamus Bremensis*, *Helmoldus*, & alii non tacuerunt. An hæc iusta belli causa, sæpe disputatum est: etiam superioris sæculi anno 47. *Thuan. lib. 54. f.* *Fernandus Vasquius* declinauit hanc quæstionem: *Grotius* non exhaustit. Maneamus intra terminos nostri exempli. Si gentem aliquam Christiano nomini infestam esse constat, & ad illud delendum semper intentam, quidni liceat, cognito hostili animo, bello eam aggredi, & victoria ita uti, ut abolitis paganis, Christiana religio introducatur? Adde duplicem cautionem, & omnibus tricis viam obstrues: primo, vt temperamentum iuris bellici, sine quo ius belli in rigore suo, Sepulveda aliquo interprete acceptum, summa iniuria est, adhibea-

Illust. controu. lib. 1. c. 4.

10. §. 11.

I. B. 2, 20, 46.

Thuan. 54. f.

tur: tum, vt fides interposita, si qua paganis data est, seruetur. Prioris temperamenti magnum habemus auctorem, ipsum Carolum: qui Witi-
Fabric.orig. lib. 4. p. 433. kindo nuntiari iussit: *se procerum dignitati & Saxonum saluti cupere consultum.* Posterius, clades Varnensis Vladislai Hungariæ Regis vltro commendat. *Diuinæ certè vindictæ hanc cladem omnes ascribebant,* inquit Gerardus de Roo. Melius enim fuerat, *pacem cum Turcis aut non fecisse, aut factam seruasse.* Addenda sunt, quæ de consilio Juliani rumpendæ pacis auctoris, consignantur.

*Hist. Austr. lib. 5. p. 196.
 add. Specul. Hon. Austr.
 ann. 1444.*

*ann. 772.
 ann. eod.*

à p. 59. ad 71.

in Chræ. Car. M.

Syogr. 3. c. 3.

Initio statim belli eluxit Caroli pro Christianâ religione studium. Habito enim Wornatiæ Francorum concilio, in Saxoniam misit copias, & prima vice castrum Heresburgum cepit, ad Ermenful usq; peruenit, & ipsum fanum destruxit, & aurum vel argentum, quod ibi repperit, abstulit. ita Annales Bertiniani. pæne iisdem verbis Metenses & Regino, vbi que fere *ὁμόφωνοι.* nisi quod Hermenensul & Hermanfaul vocatur idolum. Eresburgum hoc non accipi debere de Mersburgo ad Salam, Thuringiæ fluuium, sed de vrbe aut castro veteris Saxonie ad Dimolam, cum alia multa memoratu digna de hoc loco, exhibent accuratissimæ Note in monumenta Paderbornensia. Irmensulam autem Saxoniam totâ commentatione descripsit doctissimus Henricus Meibomius. Lindenbrogius etiam imagines huius, & aliorum deastrorum Saxoniorum ob oculos posuit. Pauca attigit Elias Schedius de DIs Germanis. Inopiam aquæ, qua destruentes fanum, laborabant, veluti miraculo suppletam, plerique adjiciunt. Victi Saxones, Carolo ad Vifurgim

stirgim accedenti, obsides (Albertus Stadenfis XII. nominat) dederunt, impetratâ pace.

Exigui temporis requies illa fuit. cum enim anno insequente, Carolus in Italia Desiderium Langobardorum regem debellaret, Witikindo facile fuit persuadere Saxonibus, vt vlcisci prioris anni damna auderent. cum præsertim Carolus neque limitem Saxoni um valde custoditum reliquisset: neque peculiari tractatu, Saxones ad quiescendum obligasset. Effusi igitur in viciniam Francis parentem, omnia igni ferroque miscebant, vsq; ad Buriaburg, in quod castrum se receperant, qui fugiebant Hassi. & vt Saxones ostenderent dolorem ex idolo suo destructo, Fridislariensem Basilicam à Bonifacio Martyre consecratam, igni absumere parabant, miraculo repulsi à ceptis. *Anna- libus Bertinianis & Metensibus addendus Regino ann. 773. & 774.* Nonnulli ad Moenum penetrasse Saxones, & Saxenhusam oppidum è regione Francofurti condidisse tradunt, notantibus *Fabricio & Spangenbergio.* Et Carolus, accepto rebellionis nuntio, marurato in Germaniam reditu, cum Ingelheimium peruenisset, in quatuor agmina partitis copiis (quatuor *Scaras* vocant vetustiores annales, quam vocem Germanicam alii per *legiones*, alii per *exercitus* interpretantur) triplici victoria potitus est. nam quarta legio non reperit, cum quibus pugnaret!

Insequentium duorum annorum res gestas (775. & 776.) è recentioribus obscurius ordinat *Fabricius*, clarius quodam modo *Spangenbergius*. Fundus, in *Annalibus Bertinianis & Metensibus*, & *Reginone*,

ann. 773

orig. Sax. lib. 4. p. 426.
Chron. Sax. c. 73.

ann. 774

ann. 775.

ginone, Poëta Anonymo, Annalib. Eginhardi. Summa, isthæc: Conuentus Durix celebratus; Sigiburgum à Francis captum; Heresburgum instauratum; prælio pulsi Saxones, apud Brunisbergam, vbi Francos frustra transitu Visurgis arcere conati sunt. qua de re eleganti carmine, Monumenta Paderbornensia:

Arx vbi Brunonis, circumspicit alta, Latini

Militis infectas cæde Visurgis aquas.

Saxones hic, amnem, Carolum, transire parantem

Nequicquam telis impediere suis.

Sed dare versa fuga victori terga coacti

Cesserunt totum fluminis imperium.

p. 72. &c.

vbi nobilis annotatio. Sequitur apud Ocrum (O-bacrum) fl. deditio Saxonum Ostfalorum (Austreleudi Sax. vocatur) Duce Hassione, obsidibus & iureiurando firmata: Angariorum, apud pagum Bucki (Buchi, Bukki, quæ est Boca ad Lippiam) Duce Brunone Witikindi fratre: Westfalorum, armis subactorum. Heresburgum à Saxonibus rebellantibus captum, Sigisburgum frustra tentatum, & miraculo defensum; Desiigburgum etiam egregie propugnatum. Desenbergæ est, quæ

Paruit imperio Caroli, cum Francus adegit

Saxona degeneri vertere terga fuga.

in Monumentis Paderbornensibus, & Notis. Hinc iterum concilium Wormatiæ habitum, bellum in Saxones decretum, consultis facta iuncta: Heresburgum iterum instauratum, aliudq; castellum ad Luppam, claustrum devictorum, extructum: quo maxima dedentium se multitudo venit, obsides offerens, fidem promittens, Sacramentum Christianæ

Nota in monum. Paderborn. p 75. &c.
ann. 776.

stianæ religionis suscipiens. Dispositi custodes,
& manus militum idoneis locis collocatæ.

Deuenitur ad concilium magnum, quod Ca-
rolus M. Paderbornæ coëgit: ad quod non Fran-
corum modo proceres sed & Saxonum, excepto
Witikindo, venerunt.

anno 777.

*Hic, ubi fons Paderæ media surgentis in vrbe
Duco vetus magni nomen ab amne Padi,
Marte diu ancipiti Carolus certare coactus,
Delegit castris conciliisq; locum.*

Ita auctor *Monumentorum Paderbornensium*, cuius
aureolæ Notæ thesaurum antiquitatum Saxonica-
rum continent. *Witikindus*, qui semel decreuisset,
nunquam in amicitia cum Francis esse, eam sibi
conditionem quæsiverat, vt affinem haberet, qui
& opibus valeret plurimum, & in societatem
consiliorum aduersus Francos & incrementem lon-
ge lateque Caroli dominationem communi peri-
culo adduci posset. itaque Regis Danorum (Nor-
manni tum vocabantur) sororem Gevam secum
matrimonio coniunxit. Gotricus is erat, quem
exteri Gothofridum aut Sigfridum appellant. vnde
Joh. Isaacus Pontanus duos ex vno redegit, notante
errorem *Stephano Johannis Stephano in Notis ad Sa-
xonis Grammatici libr. 8. f.* Hic cum partem Sa-
xonix tributo, sibi obligasset, & *Germanie oppres-
sionem* animo agitans, etiam plus vltra aspiraret,
faciles præbebat aures sororio, immodicas spes in-
flanti, & nihil æque illis obstare ac Francorum
opes, demonstranti. *Paulus Aemilius* ingenio hic
indulget, & suasoriam Witikindi, aliorumq; con-
tradictionem ponit: ex quo describit *Lindenbro-*

p. 92. &c.

Poëta Anonym.

Hist. Dan. lib. 4.

ad p. 166.

Saxon. Grammat. hist.
Dan. lib. 8.

B gius.

gius. Opportunum erat Dania receptaculum Witikindo & quos ipsi socios fugæ eadem ferocia aut amicitia iunxerat, vnde, ceteris Carolo se deditibus, noua in Francos consilia procuderet. In hoc Paderbonensi concilio, plurimi iterum Saxones sacro lauacro tincti, & in hanc fidei formulam adstricti sunt: se religionem Christianam, & fidem erga Carolum Regem, eiusque liberos & populum Francorum, constanter seruaturos, sub pœna amissionis libertatis, & omnium bonorum. *Ber-
tiniani Annales* ita efferunt: *secundum morem illo-
rum, omnem ingenuitatem & alodum manibus dul-
gitum fecerunt*, (i.e. amittere se debere professi sunt, siue, in euentum dimiserunt) *si amplius mutassent, secundum modum consuetudinemq; eorum, nisi conseruassent in omnibus Christianitatem, vel fidelitatem supradicti Caroli Regis, & filiorum eius vel Francorum.* *Annales Metenses & Regino* ita interpretantur: *sacramenta dederunt, ut perderent ingenuitatem, & omnem hæreditatem, nisi conseruarent susceptam Christianitatem, & promissam fidelitatem Regis & filiorum eius.* *Eginhardus: si ulterius Regis statuta violarent, patria & libertate priuarentur.* ex quo eadem verba mutuatus est *Albertus.* Tantis fidei pignoribus editis, nondum tamen fidem seruare decreuerant.

Neque enim Witikindus, libertatem, & sacra patria amittere, fas ducebat. Quare, cum sequens annus Caroli arma in Hispaniam traxisset, famaue de morte eius percrebuisset, Witikindus hoc illud esse tempus clamitabat, quod finem imperio Francorum & seruituti Saxonum portenderet,

ann 777

ret, si viri essent, & fortunæ venienti sinum pandere auderent. Facile movit homines armis innutritos auctor consilii: vt hoc duce ad Rhenum vsque ferro & igne omnia miscerent, non sacris non profanis, nulli ætati aut sexui parcerent. Quibus Carolus auditis, Altifiodoro, vbi tum agebat, deletam Francorum manum (Scaram *Franciscam* [an? Franciam] vocant Annales Bertiniani) misit. cuius tamen conspectum Saxones, deceptos se videntes non sustinuerunt, sed refugere summa ope contenderunt. Quorum plerosque consecuti Franci apud Fluuium Adarnam (Eder) magna clade affecerunt. Witikindum apud Thassilonem Bauariæ Ducem confugium & receptum invenisse, *Spangenbergius* nescio vnde hauserit. Hæc ad annum 778. veteres Annales referunt.

Chron. SAX. C. 74.

Anno 779. describuntur ea, quæ aduersus Saxones apud Buchol (*Buchols* siluam à fagis dictam) & Medofulli (Spangenb. *Medbel oder Mepel an der Emb*) gesta sunt. vbi nulla Witikindi mentio. Anno 780. quæ apud Saxones & Sclavos circa religionem & leges ordinata sunt, commemorantur. *Spangenbergius* veteri chronologiæ bene congruit: in Fabricio transponuntur anni, quod typographi potius, quàm auctoris sponte factum crederem, nisi in *Summarum volumin.* eodem modo exhiberi viderem. Anno 781. de Saxonibus rebus fitur.

Annus autem 782. Witikindum in patriam reduxit à Nordmannis (Danis) ad quos profugerat: postquam cognovisset, Carolum Regem concilio Saxonum apud fontes Luppia (Lipspring) celebrato, cui ipse cum sociis interesse noluit, in Fran-

B 2 ciam



ciam rediisse. More suo popularibus ad arma vocatis, castra posuit ad montem Suintal. Ibi Francorum Duces eximios, qui ad Selaunos licentius agentes compescendos missi erant, Saxonumque auxilium sperauerant, magna clade affecit, magnamque fortitudinis laudem retulit. Quo nuntio, & iacturâ tot illustrium virorum commotus Carolus, cum exercitu in Saxoniam properauit, & ubi Alara in Wisaram influit, obuios habuit ac supplices Saxones, qui inquisitione factâ, omnem in Witikindum primarium incentorem culpam transtulerunt. Sed is in solitas latebras confugerat. de ceteris, qui persuasioni eius primum morem gesserant 4500. fere omnes nobilitate conspicui, ad poenam dediti sunt. Triste spectaculum hîc ira præbuit Regis, quando *super Alaram fluum in loco qui Ferdi (Verda) vocatur, omnes una die decollati sunt.* verba sunt Eginhardi in *Annalibus*. Quidam & exilio damnati. Poëta Anonymus Saxo:

Spangenberg. Chron. Sax. c. 75. p. 108.

add. Bertin. & Met. A. & c.

*Tradita sunt sanè reliquorum bis duo letho
Millia, quingentiq; viri, qui tam graue bellum
Illius (Witikindi) contra Francos gessere suaſu.
Hosq; die cunctos Rex decollauerat una
Juxta Alaram fluum, locus idem Ferdi vocatur.*

ex Btbl. Pithæi.

in Vit. Rar. p. 24.

Annales incerti auctoris: quorum mors (intelligit legatos & duces Caroli cæſos) quatuor millium & quingentorum hominum decollatione vindicata est. Hæc illi satis clarè. Solus Egolismensis, territus, credo, magnitudine supplicii, quasi pralio ocisos memorat. Ita enim scribit: Iterum omnes Saxones conuenientes subdiderunt se potestati domni Caroli,

Caroli, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui ipsum rebellium maximè terminauerunt. In eo autem praelio occisi sunt de Saxonibus quatuor millia quingenti.

Insequens annus (783.) iterum rebellione & clade Saxonum insignitus est. neq; dubium haberi potest, atrocitate supplicii ad vlciscendas necessitudines & propinquorum mortes, concitatos Saxones. Aliqui de Danicis auxiliis addunt. Duobus praeliis, vno apud Thiotmali seu Theutmali (antiquis Teuteburgium, hodie Detmoldia est) altero apud fl. Hafa, non auspicio tantum sed ductu suo victor Carolus extitit. Witikindi instinctu & consilio rem gestam apud Saxones, non dubitatur. posteriori praelio per triduum pugnato, etiam interfuisse eum, & ex fuga in arcem à suo nomine dictam confugisse, inde paulo post euasisse, variè deinceps latebras mutantem, nouissimi Scriptores tradant, veteribus tacentibus.

*Note ad monum. Paderb. p. 37. &c.
Eginhard. in Vita C.*

*Spangenberg.
Fabric.
Lindembrog. &c.
Chytra.*

Neque tot cladibus perdomiti sunt Saxones, quin Frisiorum auxiliis sibi conciliatis iterum discrimen belli adendum statuerent. Igitur (ann. 784.) Carolus filium cognominem aduersus Westphalos rem gerere iussit: ipse, cum Visurgis exundatio iter interciperet, per Thuringiam late prouectus est in Ostfalos. ita ex *Reginone* corrigendi sunt *Annales Bertiniani & Metenses*, qui vtrobiq; Westphalos ponunt. Recepit victorem filium Wormatiæ, vbi consilio habito decreuit, nullam quietem perterritis dare, donec perdomiti, cupidinem rebellandi abiicerent. Non intercessit ergo hiems quo minus Saxoniam percurfarent infesta agmina, Heresburgo, vbi hiemabat Carolus, dimissa.

add. Vrßburg.?

& Egolismensis in Vita Can.



Vidit tamē Carolus, solis armis, quamquam fortibus ac felicibus, rem confici non posse. & ad excidium gentis indomabilis grassari, labes victoriæ videbatur. Quapropter consilii vnici esse credidit, Witkindum sibi reconciliare. Hic vero apparet, quantus sit ille, quem cum hostem frangere non posset Rex tot gentium, tot Ducum victor profligatorque, amicum vltro ambiuit; & & quo gladium tenente, pacari Saxoniam posse desperauit, eius amicitiam, ut finem belli, expetiuit. Hoc Carolus, hoc Caroli proceres in concilio Paderbornensi (quando publicum populi sui conuentum in loco qui patherbrunno vocatur more solenni habuit) optimum factu iudicarunt. Peractis his, quæ ad illius conuentus rationem pertinebant, in pagum vocabulo Bardengoo (Bardengauis est tractus circa Bardouicum in agro Luneburgico) proficiscitur, ibique audiens Uuidokindum ad Albionem esse in transalbiana Saxonum regione, primo eos per Saxones, ut omissa perfidia ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cepit. cumque ipsi facinorum suorum sibi conscij regis fidei se committere dubitarent, tandem accepta ab eo quam optabant impunitatis sponsione, atque impetratis quos sibi dari precabantur sue salutis obsidibus, quos eis amaluuinus vnus aulicorum à rege missus adduxerat, cum eodem ipso ad eius presentiam in Attiniaco villa venerunt, atque ibi baptizati sunt. nam rex postquam ad eos accersendos memoratum amaluuinum direxit, in Franciam reversus est. Descripsimus hæc ex MSc. membrana, quæ in Annalibus Eginhardi nonnihil interpolata

785.

ita MSc. Annal. Eginh.

Meibom. de pagis Saxon.

lata leguntur, dum editores meliora facere student, quam stilus seculi ferebat. Consentunt, licet paulo breuiore narratione defuncti, *Annales Bertiniani & Metenses, Regino, Urspergensis, Staden- sis*. Satis tamen hinc intelligitur quam solícite quam comiter cum hoste acerrimo egerit Carolus. primo tentat animum Witikindi per populares, quibus jam documentum suæ fidei & clementiæ dederat. mox diffidenti, & quasi ex æquo agenti cum victore, obsides pollicetur. denique virum illustrem à latere suo, qui adduceret, honoris causa mittit. Alii, sine acceptis pignoribus securitatis mendici habitu in castra Regis venisse, & cum coenam dominicam celebrari videret die paschatis, miraculo ad expetenda Christianæ religionis sacra inductum, memorant. Sed tempus paschale non congruit. præcesserat enim aduentum Witikindi conuentus Paderbornensis, mense Maio habitus, & Carolus Paderbornâ Attiniacum regressus erat. Ipsum porro Carolum manus admouisse baptizando & pro eo spondisse, nec minus Reginam Fastradam pro Geva Widekindi coniuge, facile credimus. Gratulandum est hodieque, utrisque, Carolo & Witikindo: illi quod moderationem armis efficacior in tempore speculatus est: huic, quod salute non ciuili modo sed cœlesti vna eademq; operâ potitus est. Albionem (Poëta Anonymus Saxo, *Abbonem* vocat) recentiores tradunt, Saxoniam Transalbinam tanquam supremum principem possedisse. quod refellit doctissimus *Lambecius*. Insignem quoque vtriusque sexus comitatum, in partem & communionem Sa-

Fabric.

Spangenberg.

Lindembrog.

Kranz. Sa. 2, 23.

Stangefol. Annal. Westphal. lib. 2. p. 86. & 87.

orig. Hamburg.

part. 1. p. 7. & 8.

crorum



crorum Christianorum tunc venisse, Sociorum nomine Annales indicant.

Ex hac rerum commutatione ingens lætitia, & pax fidelior constantiorque. *Tunc tota Saxonia subiugata est*, inquit *Vita Caroli à Pithæo edita. quieuitq; illa Saxonica perfidia peruicacitas per annos aliquot*, ait *Eginhardus*. quæ metro inclusit Poëta laudatus:

*Hic ydem proceres sacri baptismatis vnda
perfusi, tandem Regi mansere fideles,
ipsaq; gens aliquot requieuerat inde per annos.*

Octo scilicet annos. quibus fido etiam commilitio Saxonum aliquotiens Carolus vsus. In hoc tempus aliqui referunt rem Ecclesiasticam in Saxonia propagatam. *Tunc demum*, ait *Stadensis*, *Saxonia subacta in prouinciam redacta est, quæ simul in VIII. Episcopatus diuisa Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis est subiecta.* Eundem numerum tradit

ad ann. 788.

Sclau. lib. 1. c. 3.

de Weichb. Saxon. c. 29.

c. 24. & c.

ex Poëta Anon. ad
ann. 803.

Helmoldus ex Adamo Brem. Chronicon Mindense, decem numerat. vid. doctis. *Bangerti Not. ad Helmold.* Sed ad vltimus tempus hæc transfert accuratissimus *Johannes Gryphiander*. Idem qui inquit etiam de *seruitute ex Saxonia sublata*, de *immunitate concessa*, de *exemptione ab Imperio*, de *prouincia siue ducatu Saxonie*, de *decumis ad Ecclesias translatis*: quæ omnia post hanc pacem Saxonibus concessa aut imperata liberalius iuniores & securius memorant. De insignibus *Witikindi*, & equo in album mutato ex nigro, nihil attinet refragari: cum per tot ætates durauerint.

Verum, ætas humana requiritur, antequam memoria pristini status deponatur, & patientiâ noui

in noui imperii animi imbuuntur. vix certa parendi fides, dum supersunt, qui aliam rempublicam viderunt. Post octo annorum quietem, Saxones (793.) Hunnicam militiam detrectantes, interfecto etiam Caroli in Daniam legato, iram Regis conciuere. qui mox (794.) bipartito exercitu in campo Sinistfeld (hod. Sentfeld) eos in ordinem redegit. Poëta Anonymus, *Sinothfeld. MSc. Sinofeldo.* In *Monumentis Paderbornensibus* elegantissimo carmine celebrantur *Tropæa Caroli M. Francorum Regis in campo Sintfeld:*

Nunc ubi fertilibus late flauescit aristis

Tam Cereri gratus quàm spatiosus ager,

Olim campus erat, quò prælia Saxo minatus

Francorum signis obuia signa tulit,

Sed victus cessit titulo: victoria donat

Mænia vicino conspicienda iugo.

Si Marathon Persis nomen fatale peremtis,

Miltiadae iacet clara tropæa ducis:

Gloria maior erit Caroli, qui parcere victis

Maluit, hostili quàm iugulare manu.

Insequenti anno (795.) ob interfectum Wilzan (*Wizian*) Abotritorum regem, qui ad Carolum iter habebat, insidiis Saxonum, in auctores facinoris deditos gladio animaduertit, & tertiam virorum partem obsides accepit. Anno 796. *Hermann. Contract.* 797. iterum late peruastata Saxonia, castrorum suorum locum apud Visurgim *Haristelli* vocari *An. Bertin. Eginh.* iussit, mutuatus nomen ab Heristallo Francico. Videatur omnino in *Monumentis Paderbornensibus, Heristallum Saxonicum in ripâ Visurgis.* Ab his omnibus turbis purgant *Witkindum Krantzius, & Fabricius.* Sane nec Veteres vllam in eum per hæc *add. Lindenbrog. p. 177.*

C

tem-

799.

tempora suspicionem concitant Anno 798 Nort-
liudi trans Albim seu Nordalbingi, interfectis præ-
fectis Regiis, iterum clade insigni coërciti, obsides
dederunt ferocissimum quemque: & anno sequen-
te Carolus Regis filius cum exercitu illuc profe-
ctus in fidem eos suscepit. Transalbiani tamen
illi, anno 802. iterum vastati: cum instigantibus ad
rebellionem Danis aures patefecissent. anno au-
tem 804. in Franciam translati sunt, Abotritis in-
corum sedes inductis. Ceterum magna est laus
Witikindi, quod fidem Christo & Regi semel da-
tam, inter tot popularium tumultus, nunquam
violasse compertus est.

Quem verò statum devictæ à se Saxoniae de-
derit Carolus, vnus ex veteribus, *Poëta Saxo*, qui
tempore Arnulfi Imperatoris scripsit, explicare v-
berius studuit. Et hac occasione *Reineccius* in de-
scriptionem ampliorem, quàm Notarum modus
ferebat, digressus est. Doctissimus quoque *Con-
ringius* bonam & huc pertinentem operam naua-
uit, in re iudiciaria explicandâ. *Spangenbergius* ad
hunc finem retulit iudicia Westphalica, quasi à
Carolo M. instituta. cuius narrationem descripsit
Erpoldus Lindenbrogius. Sed quod à Carolo M.
non proficiscantur illa, ostendit *Gryphander* proli-
xe: cui *Conringius* astipulatur, quâ de re mox li-
cebit aliqua annectere.

Nunc enim ad *Witikindum* redeundum est,
Cui duas Vxores attribuunt: primam, *Gevam* Da-
niæ R. filiam, cuius matrimonium, vt robur &
præsidium ad maiora nitendi amplexus est. hæc
genuit ei filium *Wigbertum*; & *Hafalam* filiam:
Alte-

de iudiciis Germ.
s. 21. & seq. ad 42.

Chron. Sax. c. 85.
de Weichbild. Sax. c. 45.
& seqq.
de iud. Germ. s. 40.

Reusner,
Chytra. &c.

Altera Vxor *Suatana* (seu *Suaterna*) Principis Bohe-
mi filia appellatur, è quâ suscepit *Witikindum II.*
Comitum *Wethinensium* conditorem. *Albertus Sta-*
densis *Witikindi Magni* posteritatem eatenus me-
morat, vt ad *Magnum Ottonem* à *Wigberto*, *Bru-*
none, *Ludolfo*, *Ottone Henrici* patre, properet.

S. Kraus in *Stain* bnd
Antunffe des H. Sach.
seu.
Laur. Peccant. theatr.
Sax. part. 1.
ad ann. 917. p. 100.

Exitum vir militaris sortitus est militarem.
In extremâ enim senectute bellum gessit, nescio quâ
causa excitatus (verba sunt *Fabricij*) cum *Nothardo*
(alii *Geroldum* vocant) *Duce Suenorum*: quod præ-
lium cum durasset satis diu, fatigatus gravitate armo-
rum & contentione pugna oppetiit: & in templo à se
structo sepultus fuit. quod cum *Henricus I. Imp.* destrue-
ret, & *Vallerleben* non procul à *Brema* transferret,
etiam cineres eius loco moti sunt & *Padelborne* re-
positi; vt *Chronicon Cellense*, in qua vrbe diu hono-
re cultus est, vt *Origines*. Diem; mensem, annum
& obitus & translationis, vetustas locorumq; illorum
vastitas oblivione obruerunt. *Albertus Krantzius*,
in *Ecclesia collegij*, quod fundauerat, sepultum, &
postea *Paderbrunnam* à filiis translatum, tradit. De-
scribit *Crusius Annal. Suv. lib. 1. part. 2. c. 2.* Vulgo
annum mortis assignant 807.

orig. Saxon. lib. 4. p. 439.
S. 440.
Saxon. lib. 2. c. 24.

Quod si *Witikindus* nactus esset facundos &
diligentes rerum gestarum conditores, vix vlllo ma-
ximorum imperatorum minor haberetur. Sed
incidit in tempora annalibus scribendis iniqua.
Vnde de coævis scriptoribus vix vnus & alter; nec
de iis, qui aliquot post sæculis *Carolina* tempora
attigerunt, multi supersunt. hiq; omnes leui men-
tione & quasi in transcurso defunguntur. Juniores,
plura quidem adferunt, sed quibus non vsquequaq;

Cap. 1. de ...
 ...
 ...

licet fidere. Ex *Gobelino Persona*, *Krantzius* & alii multa describunt, quibus non semper acquieueris. *Chronicorum* ad varias nationes & loca sua scripta accommodantium, quanta sit credulitas & negligentia in rebus vetustioribus corripicendis describendisque, notius est, quam vt dici debeat. Superfunt varia Chronica necdum edita: sed pleraq; à temporibus, de quibus sermo est, nimis remota, neque auctoritatem præstare idonea. *Spangenbergius* sine dubio multum diligentia adhibuit: plus etiam, *Fabricius*. optem tamen sæpe, fontes, vnde hauserint, nosse: In *Erpoldi Lindenbrogy Carolo*, mirari licet, sæpe in margine adscribi, *Hermannum Contractum*, *Sigebertum*, & alios, in quibus ne apex quidem eius rei, quæ tractatur, extat. Quam multa non aliud, quam ex famâ, nunquam satis liquidâ, subsidium habent? Longè magis ergo interdum ad nouissima tempora quadrat, quod iam olim *Curtius* questus est: quod summa *componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas, vel par huic vitium credulitas sit*. Igitur paucula illa ex vetustioribus colligere, quam nouissima cumulare, fatius visum est.

lib. 9. c. 5. n. 21.

Judicia Secreta siue Westphalica, à Carolo M. veluti necessariâ severitate, vt *Chytraeus* autumat, ad continendos in officio Saxones, inducta, vulgo credi tradique, diximus. Liceat ergo pauca hîc, per modum appendicis, annotare. Duo sunt imprimis doctissimi viri, qui de hoc argumento disquisuerunt: *Gryphiander*, de *Weichbildis Saxonica*, & *Meibomius*, de *Irmensûla Saxonica*. Non exscribenda sunt, quæ illi fusius disputant. I. Quod fuerint.

Plurib; capp.
 2. à p. 39. & seq. ad 465

fuerint iudicia sic appellata, vt diuersis vocabulis exprimuntur, non dubitamus. II. An talia fuerint, vt describuntur, maxima oritur dubitatio. nam & suspecta res est, quod eius temporis aut proximè insequentis æqualis nemo, mentionem rei facit, quam præteritura non erant illius æui ingenia, ad hæc *περὸ δὲ* arripienda præ ceteris intenta. Gryphian-
der cum *Frehero* primum putat *Aeneam Silium* sexto demum post Carolum sæculo, tradidisse. *Meibomius* duplicem ex sæculo Christiano XI. & sæculo XIV. auctoritatem affert. ad quæ responderi potest; sic quoque interuallum esse à sæculo VIII. aut IX. (discrepant enim de origine) ad sæculum XI. Deinde vix probatum dari potest, *crudelissimam legem Saxonum* (apud *Wipponem in Conrado Saliquo*) accipi debere de Westphalicis iudiciis. certe nec *Meibomius* ipse sic accepit in *Notis ad Witi-
chindi Annales*. *Henricus de Erfordia* adhuc longius abest à temporibus Carolinis, & nugis admixtis, auctoritatem, si quam habet, destruit. Nec minimam suspicionem parit diuersitas & discordia narrantium, qui nec in tempore instituti talis, neque in causis & delictis vindicandis, neque in modo & ordine exequendi conueniunt, sed valde dissona tradunt. III. An *Carolus M.* aliquod genus iudiciorum instituerit, quod diceretur *heimliche / Westphälische oder Frengericht* / rationes sunt graues ab aliis productæ, cur difficile ad fidem sit. quas nondum vidi refutatas. Ipsi quidem, Iudices, & *die Frenggrauen* / id iactabant, & famâ inolitâ nitebantur. memini me vidisse exceptionem Imperatori hoc nomine oppositam. Et *Fridericus III. Imp.* in *Reformatione* suâ 1442. ad *Caroli M.* institutum rem vi-

c. 6.

pag. 43.



de Weichb. Sax. c. 55.

detur revocatam velle. Possit quidem hinc dici, non esse necessarium, ut curia semper in veritatem historiae inquirat: posse accipi pretextam famam & ad ius ferendum vtiliter conuerti. quâ de re *Gryphian-der*. Sed dicamus potius, Imperatorem, si non verba cauillari sed sensum ex toto contextu inspicere velimus, negare, à Carolo M. talia iudicia, qualia vulgo tum iactabantur & affectabantur, vnquam instituta esse, sed Carolum nullis iudicibus, vltra suae iurisdictionis terminos, & causarum discrimina, & ordinem aequitati consentaneum, tam infinitam & liberam potestatem concessisse, & quae antehac eo nomine venditarentur iudicia, nihil tale affectasse. De cetero in formulis Processuum etiam legitur: Ich... ein gewehrt richter vnd frigreve des H. Richs vnd der Keyserlichen frien graveschaffe zu..... tun kunt vnd bezugen vermis diß offenen brief für allen fürsten/herzogen/graven edlen/herzren/rittern/Stetten amputen/voigten/richtern/vnd vort allen guten mannen die disen gegenwertigen brieff sollent sehen oder mögent hören gelesen werden/das ich dalig vff dag datum diß brieffs den fryen Stul in.... gelegen mitt vrtel vnd rechte becleidet/ vnd besessen hatte gespanneter banck in einem offenbaren freien R. gericht zu richten nach gesezen vnd alten herkumen des grossen vnd heiligen Kaiser Karls melder gedechtnuß/ als mir dann zu rechte geburht zc.

Et post Reformationem praedictam ausi sunt iactare: *haec à Carolo M. instituta, haecenus conseruata, etiam in Reformatione Friderici Imp. stabilita, omni*

contra-

contradictione superiora esse. Gloriabantur amplius, se nomine totius Imperij & vice sacra iudicare. Ita Ich . . . ein gewehrt vriegrave vnd richter des Allerdurchl. . . Sigmundes Romischen Kayserß . . . des fryen Stols tot . . . gelegen do funt vnd betuge in disem brenve der hemlichen achte/ vor allen ersamen vriegraffen/ vnd vor allen ersamen rechten vryscheypen derselver heimlicher achte/ dat ich op disen tage gnyfte des brenves besastad vnd Stol den vrogenanten fryen Stol to . . . vnder Königs banne gespannender banck in einem vryen gehegeden gerichtte mitt oirdeln vnd rechte to richten over lyff vnd eere na gesette vnd recht des hilgen richß hemelicker besloer ner achte &c. *postea in sententia ferenda, dat sy dem vrogen . . . sin recht don vnd hangen ene an des Königs Wymen / dat is an den eyrsten bom den sy ankumen/und dar to bequame is etc.*

Hæc ex Sæculo XV. IV. Interim, dum tanto ambitu Imperatoris & Imperii auctoritatem vbique prætexunt, totum in Imperio iudiciorum ordinem convellunt, & Imperii arcana tentant. Jampridem enim plerisque Imperii Civibus prospectum erat, ne evocarentur ad longinqua & externa iudicia, si apud suum magistratum aut electum in vicinia iudicem iuri stare vellent. At illi iudices Westphalici hæc insuper habebant, & in omnes sibi iurisdictionem vindicabant. Quare Reformatio Cæsarea id agit potissimum, ne causa à competentibus iudicibus auocarentur, aut ad iudicia Westphalica traherentur illi, deren man zu ehren vnd rechte mächtig

mächtigt seyn künfte. Hanc tamen ipsam Reformationem, vt diximus, pro se interpretantur, & spretâ sanctione pœnali, omnibus modis se opponunt. Igitur præter Reformationis remedium, Cæsar plerisque Statibus Imperii peculiaria privilegia contra iudicia Westphalica dedit, & pro infirmioribus etiam constituit conseruatores & defensores talium priuilegiorum, ex vicinis Principibus. semper tamen obluçtabantur illi, & priorem importunitatem pertendebant, ita vt Freygravius aliquis, *der doch kein Stulher ist* / exhibitâ sibi inhibitione Cæsareâ, quâ in irritum reuocabatur talis citatio, & in euentum, sententia, respondere non sit veritus: legisse se mandatum Cæsareum, sed S. M. Cæs. non intelligere hoc ius, neque inhibere posse, *das nach dem vnser allergnedigster Herz der Römische Kayser der Westphalischen gerichte nicht wissende were / solche inhibition vber die Westphalischen gerichte vßgenzulassen / sinen gnaden nicht gepurlich sin solte* &c. Igitur Status Imperii complures foederabantur contra violentiam horum iudiciorum, ita vt, si quis fœderatorum deprehenderet nuntium ferentem literas citationis aut alias eiusmodi schedas, cuiunque alii fœderato inscriptas, is latorem carceri manciparet & male mulçtaret. Sunt imo tales geruli literarum vndis suffocati, aut aliter necati, aut neci vix subtracti. Neq; hæc seueritas effecit, vt desisterent Westphalici iudices. submiserunt quinimo clam homines, qui in portis & aliis locis apud aditus urbium abderent aut infigerent de nocte literas denunciatorias. V. Apparet ex his sæculo XV. cotidie

die pæne frequentatis contentionibus, iudicia Westphalica, vt prætendebantur, pro abolitis fuisse, si rem ipsam velimus dicere: neque potuisse cum Camerâ anno 1495. institutâ, stare. Omnia molimina Westphallicorum pœnam merebantur, constitutionibus & priuilegiis sancitam, & repetitam *Ordinat. Camer. 1555. part. 2. tit. 20. §. 8.* Quid enim supererat illis, si leges Comitiales exercerentur? Itaque VI. dubitare hætenus licet, an in Archiuis alia reperiantur *Acta* talium iudiciorum, quàm quæ de abusu testantur, siue ad ea tempora pertinent, quibus abusus vsum absorpserat & ignotum fecerat: ita vt vndique contradictiones opponerentur. Cumque ea, quæ dixi, in pluribus archiuis reperiantur, VII. bene mererentur de hoc argumento, qui feliciores in reperiendo, vsum iudiciorum horum ante abusum historicè demonstrarent; & ostenderent, quo tempore iudicia Westphalica, & quomodo in vsum fuerint, vt ab aliis iudiciis proprio caractere, sed legitimo, non improbatò, dignosci possent. Non opus est negare talem vsum: sed fas est, desiderare descriptionem & historiam. Non sufficit dicere: fuit vsum Secretorum iudiciorum. nam eius mentionem fieri in Actis publicis, vel ex *Wehnero* constat. Sed descriptionem historicam ante tempora abusus, requirere liceat. hoc reperire, hætenus mihi non fuit integrum. VIII. Aliud enim genus existimo *der Wissenden* / cuius formulam habet *Wiguleius Hundius circa finem des Bayrischen Stammbuchs*. licet Meibomius vocis comparandæ causa ad Westphalicos referat.

pag. 410.

D

refe-



referat: apud quos dicebantur **Wissend**/qui secreti
 iudicii scientiâ essent imbuti. als des fryen hemlis
 chen geri:chts wissende vnd echt recht Fryschöffen.
 & in inscriptionib. lit. diesen brieff soll nieman les
 sen oder hören dann ein Fryschöffen. Item illa for
 mula: das vor uch als der fryen hemlichen gericht
 unwissendt nicht zuvermelden ist zc. Atque hæc
 hæctenus paucissima ex plurimis. Justum enim
 volumen impleret accuratior consignatio eorum,
 quæ ad Westphalica iudicia pertinent: à quâ nemi
 nem deterrere potest Freheri libellus de his iudi
 ciis, in quo paucissima attigit.



SAxonica virtutis origo & stirps Tibi curæ est,
 MÜLLERE: jucundum est thema hoc, & utile,
 Nec non Electoralis quoque stemmatis illi,
 quam mente subjectâ colis, propagini
 Nobili honorificum. Faxit DEUS Optimus, ingens
 ut inde nascatur Tibi quoque commodum!
 Quod totus spero. Nam Te profectibus annos
 superare constat, & pium esse in Principem.

gratulab. f.

Sebastianus Schmidt, D.

Non



*Non sufficit vidisse mores gentium
Urbesq; ni vis ingenî cordatior,
Ac lumen eruditionis, vsibus
Attemperare cuncta nôrit publicis.
Utroq; Te Minerva ducit tramite,
Müllere, grande qui futurus es de-
cus*

*Florentis artibus virisq; patriæ.
Id pectore ex toto precatur, qui Tuis
ex asse commodis studet, totus Tuus*

J. H. Bœclerus.

E L N I S.

PK II 2994

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

W. 15





JO
DV
CLI
SAX
GR
MIS
RIS

Pr



PRINCI
INO
NO
RGIO III.
, IVLIACI,
LECTORATVS
EREDI, LAND-
MARCHIONI
ET INFERIO-
MARCÆ ET
YNASTÆ
EIN.

neo Clemen-

uia